

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XXXII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

etiam ipsa Attici verba refert. quod si ita est, hoc ipso iocatur: quasi Atticus gloriam antiquam Atticam in ridiculis poneret, et eam crederet per tres homines posse retineri. sales autem Attici omnibus praestabant: quamquam Cicero, ut assentiretur Pacto, Romanos praefert, lib. 9. epist. 15.

Ergo is tibi, nos eis succedimus] Cum hoc satis constet, veterem urbanitatem amissam esse, nisi nos eam pauci reuocemus: sequitur illud, ut primus in ea tibi locus, Attico secundus, mihi tertius debeat. lib. 7. ad Attic. epist. 2. na-

tiuum ait esse in Curio urbanitatem.

Ne tamen ERN. tantum semen urbanitatis una cum republica intereat] Urbanitas ipsa exaruit, semen tantum remanet. veni igitur, saltem ut semen conseruetur: tantum ne semen ipsum amittatur. Sunt, qui pro *tantum*, legant *tamen*: mei decem antiqui libri, duoque praeterea Fulvii Ursini, *tantum*, habent: nec infusila, ut mihi videtur, elicitur sententia. est autem lapsus ab uno verbo ad alterum facillimus: quia *tantum*, quandoque scribitur sic, *tm*: tamen, sic, *tm*.

EPISTOLAE XXXII.

ARGUMENTVM.

Scripsit hanc epistolam, cum proconsul Ciliciae praefect, Marcello et Sulpicio coll. tribuno plebis designato Curione. Prima pars de dictis est, secunda de iudiciis, tertia de republica, postrema de Dola-bella, nondum genero. Sulpicio et Marcello coll.

EXPLANATIO.

Voluntius] Hic est P. Voluntius Eutrapelus, qui Cytheridem minam dilexit. lib. 9. epist. 26. Praefectum fabrum Antonii fuisse civili bello, Nepos ait in Attici vita c. 12.

Sine praenomine] Praenomen ei Publio fuit. vide Nepotem in Attici vita c. 9. 10. 12.

Voluntius senatore] Cui Lucio cognomen fuit. Varro lib. 2. de re rust. c. 4. Constat autem ex hoc loco, Voluntium hunc, ad quem scribit Cicero, equitem fuisse, non senatorem.

Εὐτραπείλια] Festinitas, lepor, urbanitas: unde illi cognomen Eu-

trapelo. lib. 9. ad Attic. epist. 26. lib. 15. epist. 8. Phil. 13. c. 2. Plutarchus in Bruto *minum* vocat.

Salinarum mearum] Suos sales vocat *salinas* per iocum, quia dixerat, *possessio*. Infra: *Urbanitatis possessionem* quibusvis interdicitis defendamus. Salinae autem loca sunt, ubi sal fit. Plinius lib. 31. c. 7.

Procuratore] Et hic iocatur. Solent enim procuratores abfentium res defendere.

Ut ego discefferim] Iturus in prouinciam. Ergo scripta est epistola paullo post, quam Cicero proconsul in Ciliciam profectus est,

est, id est, M. Marcello, Ser. Sulpicio coss.

Dicta] Ioca. quae et *diſteria* vocata, scripsit ad Cornelium Nepotem: vt apud Macrobiū lib. 2. Saturn c. 1. legitur.

Sextiana] P. Sextii, pro quo extat oratio. vide quae diximus epist. 27.

In me conferri] Mea dici: vt ex meo nomine inſulis quoque dictis accedat auctoritas.

Diſtorum meorum] Macrobius: Animaduerto duos, quos eloquentiſſimos antiqua aetas tulit, comicum Plautum, et oratorem Tullium, eos ambos etiam ad iocorum venustatem ceteris praestitisse.

— Cicero quantum in ea re valuerit, quis ignorat, qui vel liberti eius libros, quos is de iocis patroni composuit, quos quidam ipsius putant esse, legere curauit? Non multo post haec subiungit: locos hoc genus veteres nostri *Diſteria* dicebant. testis idem Cicero, qui in libro epistolarum ad Cornelium Nepotem secundo sic ait: Itaque nostri, cum omnia, quae dixissemus, dicta essent, quae facete, et breuiter, et acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari *Diſteria* voluerunt.

Sua sponte] Sua venustate: etiam si non diceretur, hoc Cicero nis est.

Tanta faex est in vrbe] Ita habeti sunt homines ingenio, vt, quod inuenustum prorsus est, venustum tamen esse videatur.

Antygo] Quod Venere caret, venustatis expers. nomen a Venere deductum, quae Graecis *Κυδρία* nuncupatur.

Venustum] Quinctilianus lib. 6. c. 3. *Venustum esse*, inquit, *quod cum gratia quadam et venere dicatur, apparet.*

Αμφιβολία] Ambigua oratio: cum ad sententias diuersas eadem verba accommodari possunt: vt illud lib. 11. epist. 20. *Te dixisse, laudandum adolescentem, ornandum, tollendum.* Et lib. 2. de Orat. c. 60. *Perpussillum rogabo.* Quod referri potest et ad perpussillum testem, et ad perpussillam interrogationem. Et illud Neronis de Claudio, *desuisse cum inter homines morari.* Et:

Aio, te Aeacida Romanos vincere posse.

Τετραλογία] Superatio, vel exsuperantia, cum sententia supra veritatem extollitur: vt in suasionem legis Maniliae c. 10. *Plura bella gessit, quam ceteri legerunt: plures prouincias confecit, quam alii concupiuerunt.* Et Virgilius lib. 12. Aen. v. 84.

Qui candore nives anteirent, cursibus auras.

Fit etiam minuendi gratia, vt, *testudine tardior.*

Παράγωγη] Agnominatio: cum vnus litterae mutatio diuersam significationem affert: vt pro Tiberius Claudius Nero, Biberius Caldius Mero. Et lib. 2. de Orat. c. 63. *Eamus deambulatum. Quid opus fuit de? Inmo vero, quid opus fuit te?* Et Phil. 13. c. 11. *Cum in gremiis minarum mentum mentemque deponeres.* Et Afranius apud Gellium lib. 7. c. 12. *Qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit.* Et Terentius in Andr. Act. 1. Sc. 3. v. 13.

— *Inceptio est amentium, baud amantium.*

Παρά

Παρά προσδοκῶν] Praeter expectationem: ut illud lib. 9. epist. ult. *An tu id melius, qui etiam in philosophum irriseris? cum ille, si quis quid quaereret, dixisset, cenam te quaerere a mane dixeris. Ille baro te putabat esse quaesturum, unum caelum esset, an innumerable.* Simile illud lib. 2. de Orat. c. 64. *Dic de L. Manlio: Virum bonum, inquit, egregiumque civem esse arbitror. Mire delectat Horatius lib. 2. Serin. Sat. 1. cum dixisset v. 53.*

— Scenae viuacem crede nepoti

Matrem: nil faciet sceleris pida dextera: —

intulit v. 56.

Sed mala tollet animum vitiato melle cicuta.

Similiter Cicero pro Scäuro apud interpretem Horatii Porphyriorem: *Libertus patronum non occidit, sed duobus digitibus gulam oblit.* Hoc de genere sic ait Cicero: lib. 2. de Orat. c. 64. *Natura nos noster delectat error: ex quo cum quasi decepti sumus expectatione, ridemus.* Et c. 70. *Ex his omnibus nihil magis ridetur, quam quod est praeter expectationem; cuius innumerable sunt exempla.*

Per Antonii personam] Legem, C. Iulii. Is enim lib. 2. de Orat. loquitur de ridiculis. Nisi si quis lapsum memoria Ciceronem dicat, quod vix credibile videtur: salibus enim excelluisse non M. Antonium, sed C. Iulium, optime noverat: nec ita multo ante libros de Oratore composuerat, ut personarum partes obliuisci deberet: cum praesertim eos ipsos, quos in oratoriis libris loquentes induxe-

rat, omnes, nullo errore, commemoret lib. 13. ad Attic. epist. 19.

Ἐντεχνα] Artificiosa, hoc verbum complectitur ἀμφιβολία, ὑπεβολήν, παράγωγιμα, παρά προσδοκῶν, et cetera, quibus risus excitatur.

Sacramento contendas, mea non esse] Vel pecunia deposita litiges, ut probes mea dicta non esse. Similiter Catullus ad fundum suum carin. 44. v. 4.

Quous Sabinum pignore esse contendunt.

Sacramentum quid sit, Varro lib. 5. de L. L. docet his verbis: *Ea pecunia, quae in iudicium venit in litibus, sacramentum a sacro. Qui petebat, et qui infirmabatur de alius rebus, utique quingentos aeris ad pontificem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium, qui iudicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferbat: victi ad aerarium redibat.* Festus paullo latius: *Sacramentum, inquit, aes significat, quod poenae nomine penditur; siue quis interrogatur, siue contenditur. id in aliis rebus quinquaginta assium est, in aliis rebus quingentorum, inter eos, qui iudicio inter se contenderent. quae de re lege L. Papiri tribuni plebis sanctum est his verbis: Quicumque praetor posthac factus erit, qui inter ciues ius dicet, tres viros populum rogato: iiique tres viri sacramenta exigunt iudicantoque, eodemque iure sunt, uti ex legibus, plebisque scitis exigere, iudicare, esseque oportet. Sacramenti autem nomine id aes dici coeptum est, quod et propter aerarii inopiam, et sacrorum publicorum multitudinem consumebatur in rebus diui-*